

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER VIGESIMUS  
*DE LUNA.*

Cum sole, lunam, secundum luminare in propriam se posuimus antea contemplationem, eo quod cum reliquis sideribus, qui planetæ nominantur, nulla conditione videretur convenire. Cum sole vero duabus, tantum molis æqualitate, et figuræ rotunditate. Neque enim luce, neque radiatione, neque scintillatione, neque lumine, neque calore, neque colore cum aliis convenit. Fusca enim, et splendida simul, sed alia, atque alia parte, tantummodo conspicitur. Quibus in rebus, ne obscuris quidem, aut nebulosis quæ dicuntur stellis, est similis. Que fulgorem quidem habent quendam sed subturbidum, et et ad instar nebulæ nigricantem. Quare sicuti aliæ omnes a reliquis singulis specie inter se differunt, ita Luna, quoque differt ab aliis cunctis. Verum de ea operæ præcium fuerit, eadem considerare quæ de Sole sumus contemplati. Quid Luna sit omnino, qualis, quanta, quo cœli loco, quas habeat vires, quas actiones, quidque tandem pati possit. Ac de prima quidem harum quæstione, omnium cœlestium rerum rem difficillimam præ manibus habemus, et quo ad veterum placita, et quo ad essentiam eius variam contemplandam. Veteresquidem Græci philosophi, nulla in re alia, tam fuere discordes, quam in hac una. Namque eorum vetustissimus Orpheus de ea ita cecinit.

Μήσατο δ'ἄλλην γαῖαν ἀπείρατον, ἦν τε σελήνην.

Ἀθάνατοι κλήζουσι, ἐπιχθόνιοι δέ τε μήνην.

Ἦ πολλ'οὔρεα ἔχει, πολλ'ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.

“Molitus est aliam terram infinitam, quam selenem.

Immortales vocant, terreni vero Menem.

Quæ multos montes habet, multas urbes, multas domos.“

Quam sententiam videtur Thales esse secutus, qui terream esse Lunam affirmavit. Pythagorei quidam senserunt idem, eamque animalibus habitari asserverunt, maioribusquam nostra, sint, quindecies, Plantasque louge nostratibus habere pulchriores. Democritus in eandem ivit sententiam cum Orpheo, quod terreum esset quiddam, in quo campi essent, et montes, et vallium anfractus. Anaxagoras quoque ad superiora addidit, inæquali eam esse constitutione, et terream esse, et frigidam, et præterea admistam cum terreo, caliginem habere quandam. Heraclides et Ocellus, terram esse dixere, caligine obductam, sicut et Heraclitus, esse terram caligine circumdatam. Diogenes vero physicus pumiceam censuit esse, Iom vitraceam, transpicuam, et patim et obscuram. Pythagoras e contra cum aliis non paucis igneum corpus esse dixit, ex Chaldæorum puto dogmatibus, quibus a Zabracō fuerat institutus, esseque quasi speculum quoddam. Anaximenes vero et Parmenides Pythagoram sunt secuti, igneamque esse crediderunt. Sicuti et Berossus semiigneam sphæram. Zeno Parmenidis auditor igneum astrum esse, mente præditum, et prudens, et artificio confectum. Cleanthes et ipse igneam scripsit. Empedocles censuit esse ærem nebulosum, ab igne compactum, et ei commistum. Hunc bona Stoicorum pars, sunt secuti, nam mistam esse ex igne et ære tradiderunt. Xenophanes, autem nubem esse compactam et ignitam. Idem fere Chrysippus sensit, namque accensionem esse ex dulcium aquarum vaporibus collectam, et a Sole accensam. Mathematici vero quidam, compositum quoddam et diforme esse corpus, et inæquale. Sicuti enim nubes partibus quibusdam sunt rariore, quæ a Solis radiis collustratæ, splendidiore visuntur, quam quæ densiores sunt, quæ minus lucent, ita esse in Luna. Nam quæ in ea, rara sunt, luminosa fiunt, quæ vero compacta, minus fulgent. Aristoteles solus in sua permansit sententia, ex quinta illa sua eam esse essentia. Sed si quis eum interroget, cur igitur, uti Sol, uti reliqua sidera, ex eadem conflata essentia, non lucent? Necesse esset, eum differentia huius tantæ, aliquam afferre causam, si philosophorum culmen esset voluisset. Quam quoniam non attulit, et sui omnes, et